DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

INFLAMMATIONE.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
INFLAMMATIONE.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu;
Et Nobilissimae FACULTATIS MEDICAE Decreto;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

HERBERTUS BALDWIN,
HIBERNUS;
SOC. REG. MED. EDIN. SOC.

Dum relego scripsisse pudet, quia plurima cerno,
Me quoque, qui feci, judice, digna lini.
Ovid.

——— *Mihi autem dulces*
Ignoscent, quicquid peccaverim stultus amici.
Horat.

Ad diem 12 Septemb. horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBAT C. STEWART
ACADEMIAE TYPOGRAPHUS.

1803.

CN. LEARY, M. D.

"AMICO AMICISSIMUS PROPTER AMICITIAM,"

HANC DISSERTATIONEM

CONSECRAT

AUCTOR.

ERRATA.

P. 3. l. 17. *pro* oculi, *lege* oculo.
7. - 7. *pro* hoc, *lege* hac.
16. - 3. *pro* craſſamento. *lege* particulis rubris.
23. - 15. *pro* cervis, *lege* cerris.
24. - 9. *pro* antiphlogiſticis, *lege* antiphlogiſtici.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

INFLAMMATIONE.

AUCTORE HERBERTO BALDWIN.

MORBOS, qui plurimis grandioribus conveniunt ſignis, in eandem claſſem noſologi colligunt. Horum vero, ſi alii iterum in cauſa proxima congruant, ſi ſæpius ab iiſdem cauſis excitantibus oriantur, ſi corpus propter ſimilem quemdam ſtatum illis fiat proclive, ſi potius, denique, propter partis affectæ, quam propter affectionis proximâ ſuâ naturâ diverſitatem, diſcrepent, hi affinitate propiores, locos in eodem ordine jure

 tenent.

tenent. Phlegmafiæ omnes hanc affinitatem habere videntur; ideoque, a celeberrimo Culleno, in eundem ordinem, cujus hæc definitio eft, colliguntur.

"Febris fynocha; phlogofis; vel dolor topicus, fimul læfa partis internæ functione; fanguis miffus, et jam concretus, tunicam coriaceam albam oftendens."

Tanta, morborum, quos hæc definitio complectitur, fimilitudo pro ratione eft cur generalia quædam de illis auctores plurimi doceant. Noftrum fit hæc colligere.

Ex Culleni definitione jam datâ, duo in quâvis phlegmafiâ perpendenda effe videntur; affectio fcilicet topica, atque affectio generalis, five pyrexia. Aliquando equidem harum prior absque pyrexia adeft; talis autem, in claffe localium, morbus locum teneat oportet; quippe qui fub Culleni definitione minime cadit. Lis inter

medicos

medicos viget utrum, in quavis phlegmafia, affectio topica generalem, vel generalis topicam gignat. Sed antequam ad hanc litem venio, utriufque affectionis figna feparatim effe proferenda videntur.

Partis inflammatæ rubor femper augetur; calor ipfius ad calorem partium juxta cor fe attollit; dolor fæpiffime urget; aliquando, vero, in pulmonum inflammatione, potius anxietas, quam dolor adeffe refertur; hoc autem, nifi quando gangrænæ magna eft proclivitas, raro accidit; femper partis inflammatæ moles aliquid incrementi patitur; molis vero, aliquando in faftigium elevatur, dum eodem tempore, tumor circumfcriptus, rubor vividus, atque dolor fæpe pulfatilis eft; aliquando molis augmentum, microfcopio fat licèt evidens, nudo oculi vix detegendum; color tunc rubicundus, preffione difparens; inflammationis ambitus inequalis, ferpens; dolor urens. Quæ indiciis prius narratis infignitur inflammatio fæpius in abfceffum abit;

quæ

quæ poſterius in phlyctænas, cuticulæ ſquamulas, gangrænamque ipſam. Speciei priori ſedes eſt in vaſis ſubcutaneis, quibus cum tela celluloſa, prope quæ jacet, communicatio; hinc ibi fit effuſio ſeri. Poſtera vaſa cutis externa afficit: hæc, quippe quæ cum rete mucoſo ſolummodo communicant, atque ipſa ſunt omnino parva, non niſi parcam effuſionem et tenuem, quæ ad cuticulæ ſublevationem ſufficiret, ſinunt. Unum Cullenus phlegmon, alterum erythema nuncupat.

Non in externis ſolummodo, ſed etiam in partibus quibuſdam internis, veluti in ventriculo, et inteſtinis, hoc diſcrimen, quoad inflammationis ſpeciem, obtinet. Jam vero, quum, homine adhuc ſpirante, nihil de partium internarum affectionibus, oculis monemur, operæ pretium erit inquirere, quibus ſignis inflammatio interna detegenda ſit. Si aliquando viſcus quoddam dolore fixo afficiatur; ſi ipſius officium vel malè perficiatur vel omnino deſinat; ſi pyrexia cum pulſu duro

duro adſit; atque ſanguis miſſus, poſt coagulationem, tunica coriacea alba obducatur, tunc ſæpius nihil dubii ſive de inflammationis præſentia, ſive, alicui anatomiæ, et phyſiologiæ experto, qui, doloris ſitui atque functioni læſæ animum intendit, de inflammationis ſede, exiſtere poteſt. Aliquando autem haud adeo facile eſt inflammationis detegere ſedem; non ſemper enim ſola pars inflammata dolore plectitur, nec ſolum ſemper ipſius officium vel turbatur vel impeditur; quinimo ſectio cadaverum atque obſervatio docent, partem unam dolore, et functionis læſione affici, quando pars omnino altera inflammationem patitur. Hinc, ut exemplum exhibeam, ventriculus in nephritide, dolore, et officii perturbatione ſæpe laborat. Hinc, in hepatitide, hepate ipſo parum dolente, humerus dexter dolore, pulmones tuſſi et dyſpnœa, diaphragma ſingultu atque ventriculus vomitu vexantur. Quæ cum ita ſint, aliquando ægre, aliquando nullatenus ſedes inflammationis definite detegenda eſt. Hoc vero ſolatium ſit, quod in pleriſque

riſque phlegmaſiis, methodus medendi vel ſimi-lis ſit, vel ſaltem quoad minora quædam ſolummodo diſcrepat. Huic equidem legi cynanche maligna morem minime gerit. Morbus autem ille ab aliis, præter ſcarlatinam anginoſam, facile dignoſcendus eſt. Notatu inſuper dignum videtur quod etſi, parte una inflammata, altera aliquando dolore afficiatur, atque functionis impedimento nihilominus partes ſemper ferme eædem, in eodem morbo, atque iiſdem cum ſymptomatis plectantur, nec in alio ullo morbo eadem eſt ſignorum combinatio invenienda. Phlegmaſias omnes præſertim internas pyrexia ſæpius comitatur; aliquando autem, ut in ophthalmia, imo et in hepatitide chronica, in gaſtritide, et enteritide eryſipelatoſa, pyrexia vel lenis omnino, vel nonnunquam nulla eſt. De pyrexiæ ſignis nec melius loqui poſſumus, nec amplius loquamur neceſſe eſt, quam Cullenus hac definitione: "Poſt horrorem, pulſus frequens, calor major, plures functiones læſæ, viribus artuum præſertim imminutis."

Jam

Jam de connectione, in phlegmasiis, pyrexiam inter et affectionem topicam loquendum est. Quibusdam priorem a posteriori, aliis a priori posteriorem ortum ducere placet. Quum causa nunquam effectui posterior est, si affectio una alteri semper præcederet, nihil de hoc re dubii foret; res autem aliter se habet, utraque etenim affectio sæpius simul aggreditur. Aliquando vero secus accidit; in phlegmone, pyrexia, quando adsit, inflammationem cutaneam sequitur. In ophthalmia pyrexia sæpius abest; si autem inflammatio, ab oculi partibus altioribus ad profundiores forsanque ad ipsum cerebrum serpat, ægrum pyrexia adoritur. Præterea pyrexiæ vis viribus inflammationis topicæ adæquatur. Omnem mutationem in affectione locali, mutatio consentanea in pyrexia vel comitatur vel excipit. Hinc, quando etiam absque remedio ullo generali, inflammatio resolutione finitur, pyrexia omnino decedit; quando suppuratione, nisi pus cito ejiciatur, febris hectica sequitur; quando

gangræna,

gangraena, summa debilitas, cum pulsu debili, parvo, irregulari, mutationis indicia adsunt. Insuper pyrexia quam saepissime et gravissime absque inflammatione locali, inflammatio localis, si modo gravis sit, vel partem sensibilem aggrediatur, vix unquam absque pyrexia invenitur.

Huic historiae phlegmasiarum, quaedam exceptiones accidisse feruntur, duo scilicet exempla, quibus gangraena supervenit, produntur; quorum in altero gastritis absque dolore vel pulsu duro, in altero cum dolore acuto, sed absque pyrexia, extitit.

Inflammationis Terminationes.

Si aliquando inflammatio, nulla vasorum ruptura facta, decedat, tunc resolutione terminari dicitur; quomodo arte resolutio promovenda sit, postea dicendum. Natura hunc exequitur finem vel per effusionem ex vasis inflammatis,

aut

aut aliquando a parte quadam procul ſita; vel ſæpe aucta glandis cujuſdam ſecretione, ſive glandula ipſa laborabat, ſive pars quædam vicina; vel denique auctis adeo viribus circulationis, ut ſanguinis copia inſolita a vaſis inflammatis in alia, in ipſumque denuo cor propellatur. Non, in pleriſque exemplis, alius reſolutione magis optandus inflammationis exitus; illamque ita exituram eſſe ſperandum, ſi a cauſa non nimium gravi ſit orta inflammatio, ſi calor atque dolor aliquatenus leves ſint, ſi votis remedia adhibita reſpondeant, ſi, poſtrémo, aliarum ſigna terminationum, poſtea dicenda, minime adſint. Inflammatione per reſolutionem exeunte, pari paſſu pyrexia decedit, iterum equidem reditura, ſi inflammatio vi priſtina iterum rediverit, in omne autem abeuns ævum, ſi inflammatio abiverit nunquam reverſura. Alter inflammationis exitus, et ipſe aliquando non fugiendus, ſuppuratio dicitur; quæ cum accidit, vaſa partis inflammatæ rumpuntur; propterea que cavitas ſemper fit, major quandoque, quandoque

minor, cui nomen abſceſſus, quæque ſemper pure plena eſt. De puris generatione multum locuti ſunt medici; quibuſdam placuit pus a ſero provenire effuſo, cujus partes tenuiores abſorptione reſumuntur, dum magis craſſæ fermentatione mutantur; hæc doctrina jam fugata eſt. Pus etenim, nulla ſtagnatione vel abſorptione præceſſa, a parte ulcerata ſæpe provenit. Celeberrimus Hunter aliam de puris ortu ſententiam tuetur. Sæpe ille vaſa in lymphâ effusâ genita detexit; quibus ſat veriſimile ipſi videbatur, pus formari. Homeus hanc ſententiam ſequenti exemplo firmat. Viro propter herniam ſtrangulatam, quam Inteſtinorum inflammatio excepit, mortuo, vaſa in lymphâ effusâ genita inveniebantur, etſi, pridie inſpectis inteſtinis nihil tale apparuit. Nimium foret in hujuſmodi diſſertatione, omnia quæ huic ſententiæ favent, narrare; potius quibus ſignis a muco pus diſtinguendum eſt memoremus. Pus, microſcopio inſpectum, ſpeciem globuloſam exhibet, mucus nihil tale; Mucus muriate hy-

drargyri

drargyri coagulatur, pus nullatenus; mucus tenax, pus fragile eſt; mucus recens ſaltem aquâ levior, pus, aëre omni expers, gravius; pus denique odorem quemdam putidum habet, quo mucus caret.—Quum partis diu, abſque reſolutionis indiciis, inflammatio perſtiterit, dolorque ipſius ſit pulſatilis, ſuppuratio tunc expectanda. Quum, autem, dolor ferme, vel omnino deceſſerit, quum illum exceperit ſenſus ponderis, et fluctuationis, quum calor partis nimium urgere deſiverit, quum denique febris hectica, crebris cum horroribus, ſudoribuſque nocturnis ſupervenerit, ſuppurationem accidiſſe non diutius dubium eſt. Inflammationis alius eſt exitus, gangræna ſcilicet, ſive partis mors—Gangrænam ſemper cavere, ſemper perhorreſcere medicum decet; illamque proveniſſe ſciet, doloris ſubita remiſſione, partis mollitie, atque vel livore, vel nigritie, et frigore et fœtore, ortuque ibi phlycthenarum. Aliquando pars, propter inflammationem, præſertim quæ levis fuit, mortua, fit nigra, dura, ſicca; neque, hæc dum progrediantur,

tur, ulla accidit remiſſio doloris ordinarii, ardentis.

Huic gangrenæ ſpeciei, quæ ſæpius in ſenum digitis evenit, Sagar atque Sauvages necroſis nomen tribuunt. Dum pars inflammata gangrænæ prædæ eſt, pulſus fit parvus, debilis, irregularis, frequens; vires quam maxime imminuuntur; corporis ſuperficies ſudore viſcido, partiali irrigatur; vultuſque miſerabilis, præſertim ſi gangræna interna fuerit, mortis nuncius adeſt. Inflammationi pulmonum, effuſio ſanguinis in telam celluloſam, quæ cellulas aërias circumvenit, ſæpe finis eſt; parteſque glanduloſæ, propter inflammationem, ſchirro, ſeu tumore duro, minime dolente afficiuntur.

CAUSÆ REMOTÆ.

Inflammationis cauſa prædiſponens, ſeu corporis conditio illa, qua fit inflammationi proclive,

clive, habitus eſt plethoricus; ſive ille cum laxitate, ut in proclivibus cynanchi malignæ; ſive cum robore, ut in pneumoniae proclivibus videre eſt, conjungatur. Cauſae remotae excitantes ad quatuor capita referendae ſunt, 1*mo*, ad Irritantia Chemica, 2*do*, ad Irritantia Mechanica, 3*tio*, ad nimium auctas, ſtimulo quodam generali, vires circulationis; 4*to*, ad frigoris, vel caloris ſaevi effectus. Omnia chemice irritantia hic enumerare ſuperfluum foret. Gas oxygenium purum inhalatum, ita forſan agendo, pulmonum inflammationem excitare dicitur; aër, quoque, atmoſphericus, in partes cute viduas agens, chemica ſua irritatione ibi inflammationem excitat. Irritantia mechanica ſunt omnia, quae partem ſauciant, comprimunt, collidunt, vel nimia diſtenſione lacerant. Stimulantia generalia, quae vim circulationis nimium augent, ſunt valida exercitatio, liquores ſpirituoſi, et alia quaedam in ventriculum ſumpta, quae tum propter vires proprias, tum maxime propter organi ſenſibilitatem, latamque ſympathiam,

thiam, totum corpus excitant. Calor inter chemice irritantia forsitan enumerandus foret; quippe qui, si modo gravis sit, partis structuram lædit, atque compositionem mutat. De frigoris ad excitandam inflammationem, viribus, multum discrepant Medici. Alii volunt illud vi duplici, stimulante, scilicet atque sedativa potiri. Alii hoc ineptiæ ducunt. His etenim frigus, caloris abstractio esse videtur; neque quo modo stimulantis abstractio ipsa stimulare possit, intelligunt. Astutiæ, autem, metaphysicæ facta semper præponenda sunt; factisque constat, frigus inflammationem excitare, ut quivis, qui, ipso calescente, cyathum aquæ frigidæ hauriet, gastritide statim percussus, testabitur. Neque valet objectio illa, qua asseritur, non ipsum frigus, sed calorem frigori sequentem inflammationem excitasse; sæpe, etenim, ut ipse testari possum, viros cynanchi tonsillari proclives, dum adhuc sub frigido Jove sint, dolor, rubor, et faucium tumor adoriuntur. Temperiei effectus rationem gradus mutationis habere

dicuntur

dicuntur. Hinc qui, ipſo plurimum caleſcente, certo cuidam frigoris gradui objicitur, plus detrimenti capiet, quam qui, parum caleſcente, gradui eidem objicitur.

CAUSA PROXIMA.

In phlegmaſia quavis gravi, ſanguis miſſus, tunicâ coriaceâ albâ, poſt coagulationem, obducitur: quod Boerhaavio et aliis indicium aucti lentoris ſanguinis viſum eſt; lentor autem, ſanguinis tranſitum per vaſa extrema difficilem reddat, opportet; hinc ibi congeſtio ſanguinis fieri neceſſe; quum autem inflammationis ſigna præcipua, tumor, ſcilicet, atque rubor partis, talem congeſtionem accidere arguant, inflammationem, ab obſtructione, propter lentorem, ortam eſſe putabant. Huic inflammationis doctrinæ ſat ſit reſpondiſſe, quod tunica coriacea alba minime lentoris

lentoris ſit indicium ; quippe quæ, e contrario, à ſanguinis aucta, propter vaſorum, forſan, fortiorem ſolitâ actionem, tenuitate, craſſamento tempus, ante coagulationem lymphæ, ad ſubſidendum præbente, originem ducit. Cullenus hac de lentore doctrinâ fugatâ, aliam ipſe propoſuit. Varia inflammationis phænomena, teſtes aucti in vaſis inflammatis ſanguinis impetus, ipſi viſa ſunt. Quum vero cordis actio non ſemper eodem tempore manifeſto augeatur, impetus ille inſolitus, ab aucta vaſorum partis ipſius actione oriatur, neceſſe duxit. Sæpe hanc oriri a ſtimulantibus parti applicatis, ſat apertum ; neque alia, præter auctam actionem, inflammationis cauſa proxima tunc quærenda eſt. Aliquando, tamen, ſtimulantium parti applicatio minime detegenda, neque illam accidiſſe veriſimile videtur. Quæ cum ita ſint aliam inflammationis cauſam quæramus, oportet. Hoc ut exequamur notandum eſt, ruborem, tumorem, atque a diſtentione dolorem demonſtrare, quod inſolitæ, quæ parti determinatur ſanguinis copiæ tranſitui

per

per extremas arterias, quædam ſit obſtructio. Hinc ibi fit congeſtio, quam vis medicatrix naturæ amovere conatur, vaſorum partis actionem augendo; quod, ut in omni alio exemplo ubi pyrexia adeſt, ita et in hoc ope ſpaſmi in extremitate vaſorum, efficit. Quæ jam dicta ſunt duas Cullenum inflammationis doctrinas propoſuiſſe demonſtrant; quarum altera ſpaſmum a viribus naturæ medicatricibus excitatum; altera auctam per ſtimulantia vaſorum actionem, cauſam ipſius proximam eſſe docet. Cullenus, quando de naturæ viribus medicatricibus loquitur, nihil niſi nos de facto monere vult. Procul ſint ergo, qui illi theoriam Sthalianam, quam ludibrio vertebat, tribuunt. Quæramus ſolummodo, ſi ſpaſmus revera ſit inflammationis cauſa: primo autem ſpaſmi in inflammatione exiſtentia probatione egeret. Præcipuum quo ad hoc credendum movemur argumentum a viribus frigoris in inflammatione excitanda ducitur. Frigus vi vaſa hæmatophora conſtringendi potiri aſſeritur; indene igitur concludendum, quod

hanc excitando constrictionem inflammationem quoque excitet? minime, me judice, constat. Frigus etenim, ut ipse Cullenus fatetur, vi stimulante, imo et vi sedativa fruitur. Porro sive ab actione aucta, sive ut doctrina nupera vellet, a vasorum debilitate inflammatio oriatur, hac duplici frigoris potestate sine ullo spasmo excitari possit. Jam vero, esto; fateamur, paulisper, spasmum existere: quid? ad inflammationem ciendam valebit? obstructione agat oportet; obstructio autem non semper ad inflammationem ciendam sufficeret; vasa etenim obstructa distensioni resistere possint, usquedum sanguis per ramos alios propter anastomosin evaderet. Negas adhuc? Legas Hallerum, qui ligaturam extremis arteriis imposuit; inflammatio sequebatur? minime. Legas Wilsonem, qui aliud hujus simile experimentum instituit; filum ferreum calidum per telam pedis ranæ protrusit, inflammatio minime secuta est. "An obstruction, however, (si ipsius verbis uti fas sit) was produced, surely more than equal to what occurs in

many

many inflammations of ſmall extent." Pace igitur viri celeberrimi dixiſſe liceat, non ſatis conſtare ſpaſmum, inflammationis eſſe cauſam proximam. Quid autem de altera doctrina dicendum? An aucta vaſorum partis affectæ actio inflammationis cauſa proxima dicenda eſt? Hanc doctrinam ſubvertere Wilſon nuper conatus eſt; cujus nonnulla argumenta hic prodam. Rubor, calor atque dolor partis ibi auctam ſanguinis copiam eſſe probant. Quum autem in actione vaſorum, propter fibrarum muſculoſarum contractionem, ipſorum areæ minuantur oportet; quommodo, tunc ſanguinis copia in illis augeri poſſit? Præterea inflammatione in telà pedis ranæ atque in cuniculi meſenteria excitatâ, vaſa ope microſcopii inſpecta dilatata fuere, ipſorum actio imminuta, ſanguinis in illis circulatio vel tardiſſima, vel quibuſdam locis omnino impedita. Vaſa partis inflammatæ ad fortem actionem iterum excitare conatus eſt. Tunc, in illis, quae excitare valebat, motum ſanguinis augeri, vaſorum areas imminui, ruborem atque

tumorem

tumorem decedere cerneres. His argumentis, quibus doctrinam aucti impetus sanguinis, auctæque vasorum actionis obrui putabat, aliam stabilire aggreditur; scilicet inflammationem a mutatâ inter actionem vasorum partis inflammatæ, et actionem cordis, vasorumque magnorum ratione solitâ naturali, oriri, vult. Hoc accidere docet, sive quando actio vasorum partis affectae minuitur, non eodem tempore minutâ, vel saltem non aequâ ratione, cordis actione vasorumque magnorum; sive iterum, quando cordis vasorumque magnorum actio augetur non aequâ ratione (etsi aliquatenus, imo et saepe multum) auctâ vasorum partis actione. Quisquis animum huic doctrinæ, paululum, intendit, non illam a Culleni doctrina multum distare videbit. Quoad locum etenim ubi dicitur inflammationem ortum, a minuta vasorum partis actione ducere; hoc in inflammatione chronica accidere Cullenus ipse docet; lege ipsius, in capite de rheumatismo, verba; "The phenomena of purely chronic rheumatism lead me to think,

that

that its proximate caufe is an atony both of the blood-veffels, and of the mufcular fibres of the part affected." Talem fuiffe inflammationem, quâ vafa microfcopio infpecta laborabant, fat mihi verifimile videtur. Wilfon autem ipfe aliam effe fpeciem inflammationis fatetur, in qua vaforum partis affectæ, etfi non pari gradu ac cordis vaforumque magnorum, actio augetur. Si vero, uti ille (vol. 3. p. 109.) tenet, affectio totius fyftematis, in omni phlegmafia, ideoque aucta cordis et vaforum magnorum actio, ab aucta vaforum partis actione oriatur, nonne fatis conftat, illam auctam vaforum partis actionem inflammationis caufam effe proximam? Non defunt alia, quæ de nupera hacce doctrina dici poffint.

Sed fugit interea, fugit irrevocabile tempus,
Singula, dum capti, circumvectamur amore.

METHODUS

METHODUS MEDENDI.

Præter resolutionem, vel suppurationem, non alia inflammationis optanda est terminatio; quique gangrænæ, vel schirro, vel effusioni sanguinis in pulmonum telam cellulosam optime obviam ire vult, resolutionem sæpius, suppurationem aliquando, promovebit. Quomodo hoc, igitur, efficiendum primo dicemus; postea quid faciendum si gangræna inflammationem exceperit. Ad resolutionem promovendam causæ remotæ, primo, removendæ; congestio in parte inflammata, auctæque circulationis, per totum corpus, vires, deinde, per remedia vel topica, vel generalia tollendæ. Remedia localia, quando inflammatio non adeo gravis sit, ut totum systema multum patiatur, sæpius ad resolutionem efficiendam satis valent. Imo, et in gravioribus etiam inflammationibus, pyrexiâ comitatis, multum auxilii afferunt; atque hoc commodi

commodi habent, quod, dum ipſa corporis vires minime frangant, remediorum generalium, quæ talem effectum præſtarent, neceſſitatem multum minuant. Remediorum localium diviſio fieri poteſt in illa, quæ absque ulla fluidorum abſtractione, vel in illa quæ fluida abſtrahendo, congeſtionem tollunt. Priora illa ſunt, quæ vel viribus aſtringentibus aut ſtimulantibus vaſa ad ſanguinem propellendum auxiliantur, vel viribus ſedativis vaſorum auctam actionem temperant. Sulphatis zinci, vel ſulphatis aluminæ cum potaſſa, vel muriatis hydrargyri aut ſolutiones, aut pultacea; acidum acetoſum, atque alkohol, utrumque aliquatenus dilutum, decocta aut quercûs cervis, aut corticis quercûs roboris, oleum terebinthinæ, camphora, atque alia inter remedia ſtimulantia vel aſtringentia enumerantur. Ad ſedativa referuntur aëris frigidi vel aquæ frigidæ applicatio; infuſum digitalis purpureæ, forſan atque tinctura opii. Remedia localia, quæ fluidorum abſtractione agunt, ſunt veſicatoria, atque ſanguinis ope hirudinum vel

cucurbitulæ

cucurbitulæ cruentæ, vel cultri inciforii detractio localis; quo proprius parti affectæ hæc fluidorum detractio fit, eo femper melius; aliquando, veluti in inflammationibus vifcerum videre eft, parte ipsâ extra manum jacente, parti integumentorum proximæ veficatorium imponendum, ab illa fanguis detrahendus. Remedia generalia ad tres ordines referenda funt; primo, fcilicet, ad ufum regiminis antiphlogiftici; fecundo, ad evacuationes per fanguinis detractionem liberam, generalem, per catharfin, per vomitum, per diaphorefin; tertio, ad ufum remediorum quorundam, quæ vi fedativâ generali potiri dicuntur. Regimen antiphlogifticum in lucis, caloris, ftrepitûs, aliorumque in fenfus nimium fortiter agentium amotione; in mentis, atque corporis otio; in omnium evacuatione, quæ ventriculum et inteftina, vel onere opprimunt, vel acrimonia irritant; in fitis reftinctione; inque, tandem, abftinentiâ a potu quovis, vel cibo ftimulante, conftat. Sanguinis detractio libera, generalis, cæteris omnibus, quæ

vires

vires circulationis minuunt remedia, præſtat. Huic igitur, in omni phlegmaſia gravi, præſertim quando viſcus quodvis nobile patitur, ſtatim confugiendum, neque propter pulſus debilitatem, fractasve corporis vires ab illa ſemper abſtinendum; talia etenim ſigna, multoties, ut in gaſtritide et enteritide videre eſt, nos de hujuſce evacuationis larga, citaque neceſſitate monent. Minime, autem, ſanguinis detractio ultra modum urgenda; quippe quæ mortem illis aliquando infert, quibus morbus pepercerit; quæ morbum acutum in chronicum pejoremve alium, aliquando vertit; quæque tandem gangrænam morbo ſupervenire nonnunquam facit. Senibus tenerisque maxime pernicioſa eſt. Sunt in quibus phlegmaſiis, imo quidem et gravibus, nihil utilitatis habet; ſcilicet quando inflammatio typhum excipit. Catharſis in omni ferme phlegmaſia utilis eſt; praeſertim ſi caput afficiatur. Dolendum quod in ventriculi atque inteſtinorum inflammatione, dum propter evacua-

tionem maximi foret beneficii, proper ſtimulationem nocere videatur.

Hiſce autem in morbis enemata ipſius locum ſupplere quodammodo poſſunt. In cynanche maligna neque ſanguinis detractio, neque larga catharſis adhibenda eſt. Vomitus autem, in omni cynanchis ſpecie, tum propter ventriculi evacuationem, tum maxime propter diaphoreſin, quibus cauſa eſt, utilis reperitur. In phrenitide vero, in gaſtritide, in pneumonia vomitus minime tentandus, quippe qui caput, pulmoneſque verſus, ſanguinis determinationem, atque ventriculi irritationem augeret. Diaphoreſis in rheumatiſmo copioſa, in cynanche atque pneumonia lenis, maximo beneficio eſt. In phlegmaſiis vero plurimis, etſi quando ultro adſit promovenda, raro arte excitanda eſt. Diaphoreſis, niſi quando fluida atque generalis, nunquam utilis reperitur. Digitalis, atque medicamina, quæ nauſeam, abſque vomitu, movere valent, quippe quæ circulationis

circulationis vim minuant, in phlegmasiis sæpe laudantur. Aliquando, in phrenitide præsertim, multum valet, ægri si corpus erectum teneatur. In viscerum inflammatione suppuratio fugienda est. Quando, autem, supervenerit illis, neque mors statim sequatur, vel abscessus externe aperiendus, vel si hoc fieri nequit, puris absorptio, digitalem adhibendo promovenda est. In inflammatione externâ, quando suppuratio ex voto est, promovebitur pultaceis atque fomentationibus calidis; neque, cum res ita sit, vasorum actio nimium minuenda est; neque, ut nimium fortis sit, concedendum. Suppurationi etenim actio necessaria videtur, quæ minime validissima sit, sed quæ naturali præstet. Cum gangræna externe aggrediatur, pars mortua, suppurationem in terminis partis sanæ excitando, removeatur, oportet. Vires, eodem tempore, ope cinchonæ officinalis, opii, vini, cibique lauti, sustinendæ; nisi equidem ut aliquando fit, gangræna parti supervenerit, dum

systema

ſyſtema adhuc a nimia vaſorum actione patiatur. Tunc a roborantibus abſtinendum, donec diatheſis phlogiſtica deceſſerit. Omnium internarum partium (præter fauces) gangræna ægro exitio certo eſt. Gangræna faucium eodem ferme, ac gangræna externa, modo, ſanatur.

FINIS.



EX TYPOGRAPHEO ACADEMICO.